

PROGRAMMA SOLEMNIBUS PA- SCHATOS

*In honorem gloriosæ Perruptionis nostræ ex mortuis
redivivi sacrum:*

In quo actus gloriosæ perruptionis à
Christo præstiti, piè expendendi
proponuntur

à
RECTORE ET SENATU
ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.

ANNO DOMINICO
M DC XXXV.



REGIOMONTI
Typis Laurentij Segebadij.

inv. 180

295501

Resurrectio Domini nostriâ mortuis, non solum u-
 niversam mortalium vitam jure festum reddidit ;
 siquidem in terris degentium conversationem in cœlum
 transferens, festorum celebrandorum materiem uberem
 suppeditavit. piè sic pronunciant *B. Athanas. Tom. 2. Ho-
 mil. Sabbath. in Albu fol. 673. C.* Verùm etiam omnem
 creaturam in cœlo & in terra, læticiâ & tripudio reple-
 vit. Unde non immeritò hodierna die ille Psalmus ritu
 antiquitùs usitato in cœtibus Sanctorum personat, in quo
 propheta exultandum præcepit, & lætandum : Omnes
 enim creaturas ad hujus festivitatem *David S. invitat.*
Nam in hac die per Resurrectionem Christi aperitur tartarus ;
terra innovatur ; Cœlum per Spiritum S. referatur. Tarta-
rus Perruptorem Regem Christum cogitur reddere ad lū-
peros ; terra quos detinet sepultos, mittit ad cœlum ;
cœlum quos suscipit, repræsentat ad Dominum ; & unâ eâ-
demq. operatione Salvatoris passio elevat deimus ; suscitât de
terrenis ; collocat in Excelsis. Resurrectio quippe Christi de-
functus est vita ; peccatoribus venia ; sanctus est gloria, quæ
verba sunt B. Maximi Taurinens. Homil. 2. super Pasch. fol.
24. A. Similia inculcat Hamil. 3. fol. 25. A. lit. D. Hæc
 est dies, quam fecit Dominus : *Bonus planè dies, qui lucem*
intulit univèrsis ; verùm non hujus seculi lucem ; sed resurre-
ctionis aternæ : Lux enim ista, non caliginem noctis detu-
lit ; sed mortis tenebras amputavit : Bonus, inquam,
dies, & melior hic, quàm ille, in quo primùm Mundus
enituit. Ille enim hominibus ad laborem creatus est ; hic
factus est ad quietem ; ille mortem meruit ; hic formidinem
mortis evasit ; ille bonis malisq. communis est ; hic proprius est
justorum : Illius diei lux tenebris sepelitur ; hujus diei splendor
etiam sepulturos illuminat ; in super illius diei lucem mortui
non vident, hujus diei lumen etiam defunctus emicuit : Late-
mur ergò die hacce, quæ & omnes circumfulget, & mortuos vi-
viscat, & venturos illuminat : exultandum nobis est hac die,
 quam

quam fecit Dominus, continuant leticiâ, & in ejus festivitate
jugi gloria gloriantur! Haec enim ille.

Ad excitandam verò ejusmodi piam in cordibus
animisq; nostris læticiam, multum faciunt Homiliae sa-
cræ in cœtibus Christianorum solemnibus hisce haberi-
frequentariq; solitæ; ad quas & Cives nostros Academi-
cos remittimus; ne tamen profus nostra ex parte huic
sacro S. instituto deesse videamur; in gratiam piorum,
ac comprimis studiosæ juventutis, meditatione devotâ
residuum *de Vaticinio Mich. c. 2.* Perruptoris nostri glo-
riosam Resurrectionem à mortuis deprædicante, expen-
dere impræsentiarum nobiscum constituimus, ubi præ-
missâ, & expediâ ante hâc textus declaratione, & ad
Messiam Perruptorem gloriosum applicatione, jam duo
enucleanda & pietatis alumnis inculcanda supersunt.

1. *Quibusnam actibus gloriosus noster Redemptor perruptio-
nem suam expediverit & peregerit?* 2. *Quanam beneficia à
glorioso Perruptore isthoc in homines redundent?* præmit-
tenda quidem esset dissentientium à nobis objectionum
& exceptionum circa *Vaticin. c. 2. Mich.* confutatio, pro-
ut antehac promissum fuit: sed instituto ejusmodi ad A-
croateria dilato, solum modò circa *duo ista capita* præfixa
enucleanda, & expedienda occupabimur, quoad ejus fie-
ri poterit. Quod itaq; prius attinet, *in quonâ videlicet per-
acti sit Gloriosi Redemptoris nostri perruptio?* Pontificij sta-
tuunt, perruptionem illam factam esse in regressu Christi
è limbo, putant enim Christum in resurrectione à mor-
tuis eduxisse secum animas Patrum, quasi gregem solu-
tum, qui in limbo quasi in Caulâ detinebantur: ita expli-
cat *Vaticin. Prophetæ Mich. Cornel. à Lapide*, ut & *Em-
manuel à Sa.* A qua sententia non est alienus *Galatin. lib.
3. cap. 23. fol. 402. B.* (interprete *Cornel. à Lapid.*)

Verum enim verò limbus ille Patrum est merum fi-
gmentum Papisticum, & Judaicum, scripturæq; sacræ

sus ignotum dogma, quippe, quæ non nisi *duo* domicilia post hanc vitam agnoscat, nempe Cælum vel Paradisum, seu finem Abrahamæ, & postmodum Infernum sive Gehennam *Luc. 10. v. 23. Matth. 25.* Nullibi verò intermedium ponit receptaculum decedentium ex hac vitâ, æquæ ac nullum datur intermedium inter salutem & damnationem. Qui enim credit salvabitur; qui verò non credit condemnabitur. *Marc. 16. Joh. 6. 3. v. 16. 17. v. 36.* uti etiam non datur medium inter vitam & mortem *Deuter. 6. 30. v. 15. 19.*

Misso itaq; Pontificiorum limbo, juvat ex Sacro S. Scripturæ tabulis genuinos in medium afferre actus peritumpendi, qui in Christo effulsere varij. *Primò* perruptionis suæ in deserto *Matth. 4. Marc. 1.* Varijs namq; insq; astutis modis ac technis Satanas Christum aggressus, adigere & præcipitare eum conabatur tum in *diffidentiam* erga Deum, tum in *arrogantiam*, tum deniq; in *avaritiam*, quæ est Idololatria *Eph. 6. 5. v. 5.* vincere tamen ipsum non potuit; sed victus à Christo terga dare turpiter coactus est: atq; ita Christus tum temporis vincula & laqueos tentationum Diabolicarum fortiter disruptit, eoq; ipso Perruptor gloriosus evasit. Quâ de re pulchrè disserit *Athanas. Tom. 2. Homil. in Pascha. fol. 671. sequ.* *Secundo* actus perruptionis ex parte Salvatoris nostri effulsit tempore *passionis interna magna in Horto Oliveti exaltatæ*; quam Evangelistæ verbis undiquaq; emphaticis conquiritis, vel potius ex instinctu Spiritus S. suppeditatis vix graphicè ad vivum exprimere valuerunt, quando de Christo agunt, quod necessum habuerit *ἐκθαυβῆσαι* & *ἀδμυρονεῖν, περὶ τοῦ πᾶθος* *Matth. 26. v. 36. Marc. 14. v. 33.* hoc est expavescere, trepidare, doloribus intimis excruciarî, & angî *ταραχθῆναι* concutari *Joh. 6. 12. v. 27.* Cujus passionis ineffabilem magnitudinem expresse-
runt

runt testataq; sunt tūm Christi *verba*, quibus summum
 cordis dolorem promit ac innuit *Matth. 26. 38. Indigua-*
que tristis, valde tristis est anima mea; tūm Christi *gestus*,
 dum præ languore in terram prolabitur, ac instar vermi-
 culi præ anxietate humi sese contorquet ac convolvit
Matth. 26. v. 39. tūm *oratio* ad Deum Patrem pro aufe-
 tendo calice amarissimæ & acerbissimæ passionis *Matth.*
26. v. 39. & iteratis vicibus v. 42. 44. Marc. 14. v. 35. 36.
39. Luc. 22. v. 41. 42. tūm Christi *lucta* seu *Agon*, scribit enim
 Div; *Lucas* Christum fuisse *ἐν ἀγωνίᾳ* h. e. in acerrimis
 motibus animi, lucta ac dimicatione, in certamine & pu-
 gna. Luctatus quippe Christus tempore illo erat cum sen-
 su iræ DEI, aggressus erat mortem, & duellum ipsi obtu-
 lit; nec solum cum morte luctatus est; sed etiam cum
 eo, qui mortis habebat imperium h. e. cum Diabolo & o-
 mnibus inferorum portis, *Heb. 2. v. 15.* tūm *corroboratio*
Angelica Luc. 22. v. 43. tandemq; *sudor* Christi cruentus
 in illo agone intentissimo & vehementissimo ipsi ex-
 pressus, isq; largissimus, tantâ in copiâ emanans, ut non
 solum corpus humectaret; sed etiam in terram uberim
 caderet; non aliam certè ob causam, quàm ob pondus
 peccatorum totius generis humani in Christum conse-
 ctorum, & ob sensum iræ DEI adversus peccata. Memo-
 rabilis & simul ineffabilis *interna* hæc passio Salvatoris
 nostri dudum à Spiritu S. variè descripta & prædicta fuit
 in V. T. quoties de doloribus inferni Christus queribun-
 dus introducit *Psal. 18. Psal. 40. v. 13. Psal. 69. v. 2. v. 3.*
Psal. 116. v. 3. Postquàm verò hocce pacto Dominus noster
instar auri purissimi igne iræ DEI satis probatus esset usq; ad
 sanguineum sudorem, ut cum Div. *Hieronymo* loquamur;
 eluctatus est tandem ex omnibus hisce angustiis, crucia-
 tibus, doloribus, & vehementissimis, ineffabilibusq; pas-
 sionibus: hisq; robore divino superatis, perruptor glorio-
 sissimus exiit, ac statim cum magnâ animi lætitiâ ac

præsentia, fortitudine admirabili, pectoreq; impavido, ac imperterrito hostibus suis obviam ultrò ivit, seq; sponte vinculis ligari, & ad condemnatorium judicium ab iis abduci passus est.

Tertio actus perruptionis conspicuus factus est ex parte Salvatoris nostri in passione *externa magnâ*: tunc enim, Cerva auroræ, vel matutina (Jesus Christus noster) à canibus ferè circumdata, circumcincta, inq; retia Pontificum adacta erat *Pf. 22. v. 17. Item Pf. 118. v. 10. v. 11. v. 12* Circumdatus, & circumcinctus Christus fuit adeò duriter vinculis ligatus, & constrictus, ut ex omnibus unguibus sanguis promanarit, auctore *Anselmo*. Quàm verò plurima, innumerabilia, eaq; prorsus indigna, probrosa, & contumeliosa hisce in vinculis perpeffus sit Salvator noster coram judicio *tum Ecclesiastico* vel *Consistoriali* & *Sanbedrim*, *tum politico* apud *Pilatum* & *Herodem*, historia passionis sat abundè testatur. Vincula prætereà perpeti necessum habuit Dominus noster, quibus in prætorio ad *Columnam* alligatus, eruculentis flagellis à militari cohorte immane quantum! exceptus, percussus & afflictus est usq; ad sanguinis profluvium, quo & columna & vincula conspersa remaduerè: cujus adhuc hodieq; reliquæ *Roma* asservari vulgò creduntur. Vinculis Christi ex sententia *Veterum* adnumerari solent *tum Corona spinæ*, cui caput sanctissimum Salvatoris nostri fuit implicatum ac innodatum; *tum Clavi ferrei*, quibus ad furcam vel stipitem Crucis Dominus fuit affixus. Typum hujus passionis repræsentavit olim *Simson* captus, vincus & ligatus à *Philistæis*. Sicuti verò is ceu fortissimus & robustissimus Heros, disrupta vincula hostium suorum, eosq; agminatim & acervatim humi prostravit, *Judic. 6. 5. v. 15. 16.* sicq; gloriofus victor & perruptor evasit: Adeundem modum *cælestis noster Simson*, vinculis externis ligatus, disruptis & confregit vim & potentiam hostium nostrorum

rum spiritualium, ac cum primis peccatorum, quæ Domi-
no nostro vincula iniecerunt, eumque ligarunt & constrin-
xerunt; eluctatus autem est Christus Salvator noster
claustris, & vinculis, ac ligamentis passionis externæ
magnæ, ac dolorum acerbissimorum, anima DEO placi-
dè commendatâ, & corpore per triduum in sepulchro
quiescente; perripit verò gloriosus Rex noster in me-
dio hujus passionis & mortis suæ actu, *abolendo peccatū,*
conterendo caput serpentis, destruendo, debellando & expo-
liando mortem, & Infernum, de iisque triumphando, nosque
adeo ex potestate horum hostium nostrorum liberando
ac vindicando. *Esa. 6. 49. v. 24. 25. 26. 6. 51. v. 22. 23. Ose. 13.*
v. 14. 1. Cor. 15. v. 55. 56. 57. Col. 2. v. 14. 15, Hebr. 2. v. 14, 15.
Apoc. 5. v. 5.

Quarid, actus perruptionis ex parte gloriosi Tri-
umphatoris nostri emicuit in solutione & corruptione
vincularum mortis, cum esset factus redivivus, adeoque tri-
umphabundus prodiret in auras erecto trophæo, iacta-
toque vexillo. Qua de re *Div. Petrus* graviter, cordatè pieque
differit *Act. 2. v. 23. v. 24. Hunc DEVS suscitavit solutus do-*
loribus mortis, quatenus impossibile erat tenere eum in morte:
Id quod olim Propheta *David* spiritu vaticinico prædixit
Psal. 16. hoc sensu interpretante *Div. Petro* verba *Davi-*
dis, nimirum de Christi *vivificatione,* & à mortuis *resurre-*
ctione v. 25. 26. 27. 28. Ne autem hæc de *Davide* quis pli-
am intelligat, ideoque luculentam ad Christum addit ap-
plicationem *v. 29. 30. 31. 32.* Ubi quidem opus *vivifica-*
tionis, & *resurrectionis* Christi à mortuis tribuitur DEO
Patri (non excluso tamen filio) ob indolem operum
ad extra, quæ sunt communia toti Trinitati, servato tamè
certo inter Personas ordine; alioquin alibi Spiritus S. di-
ferte testatur: Christum propria virtute *resurrexisse,* ad-
eoque vincula mortis suæ, omnipotentia virtuteque suâ di-
vinâ distrupisse *Math. 16. v. 21. c. 20. v. 19. c. 26. v. 32, Marc. 9.*
v. 31.

v. 31. Luc. 9. v. 22. c. 18. v. 33. c. 24. v. 7. Ioh. 6. 2. v. 19. Marc. 14. v. 58. c. 15. v. 28. Ioh. 6. 10. v. 17. 18. 1. Cor. 15. v. 4. 12. 13. 14. 20. Apoc. 1. v. 18. c. 2. v. 8. c. 3. v. 21. c. 5. v. 9. 12. 13. De hoc perruptionis gloriosæ actu egregiè agit B. Maximus Taurinens: Homil. 1. Pasch. fol. 23. F. G. ubi Christum in passione, morte, & resurrectione cum Jonâ comparat: quam comparationem ob chartæ angustiam omittere necessum habuimus.

Quintò actum gloriosæ perruptionis suæ exseruit Triumphator noster ad inferos descendendo, caluſtra Erebi effringendo, spiritibus immundis, ac animabus damnatorum Triumphum suum ostentando, indeq; majesticè remeando. Quem actum Spiritus S. dudum prædixit Ose. 13. v. 14. interprete Div. Paulo 1. Cor. 15. v. 54. Absorpta est mors in victoriam! Ubi tuus mors aculeus? ubi tua inferne victoria? De eodem planiùs differit Apostolus & Doctor Gentium Ephes. 4. v. 8. ubi per descensum in inferiores terræ partes intelligitur descensus Christi ad inferos, Phrasi Hebræa Psal. 63. v. 10. Conf. Psal. 55. v. 16. Eundem describit Div. Petrus per abitum Christi secundum Spiritum in carcerem 1. Pet. 3. v. 18. Actum huncce gloriosum, graphiçè per quandam eamq; elegantem prosopopœiam depinxit Casarius Arelatensis Homil. 3. de Paschate Tom. V. Biblioth. Patr. part. 3. f. 747. ubi in hæc verba initiò erumpit, *Doleat Infernus, quia resolutus est, gaudeat, quia visitatus est. Omnis simul impia officina contremuit, cum Christum repente in suis sedibus vidit: Mox igitur ferruginei Janitores descendente Christo talia inter umbrosa silentia cæci, metu incubante, submurmurant: Quisnam, inquiunt, est iste terribilis & niveo splendore Chorus? Numquid noster talem excepit tartarus? numquid in nostram cavernam talem evomuit Mundus? Invasor (perruptor) est iste, non Debitor, Exfractor est non peccator: iudicem videmus, non supplicem; venit iubere, non succum bere, erumpere (perrumpere) non manere,*



IN HONOREM
CHRISTI JESU,
Regis regum, Redemptoris
invictissimi,



*Um sava nostros agmina deserunt
Tractus acuto terris acinace,
Virtute bellantis minoras
Vulnere lethifero gravantur,*

*Insignis uno gaudia tempore
Portat triumphus plurima civibus,
Et lata sylvas per virentes
Omne genus resonat volucrum,*

*Serps atra nostro concita crimine
Vastis ciebat murmura fluctibus,
Necem minabatur recentem,
Exitijq; moram negabat.*

*Accensa flammis dira crepantibus
Spelaea Pluvi, protinus aridis
Lignis videbantur parasse
Mole rogos cineri stupenda*

*Sed, qua supremi gratia Numinis,
Descendit oris de superis gigas,
Qui prapotentis sternit ictu
Robora prava inimica turba.*

CHRISTVS Parentis gnatus Olympici
Sudore magno sustinuit vices

Nostras, Redemptor temperavit
Dæmonis alta minantis iras;

Et sponte nostris fœdarearibus
Delicta purgans, nulla pericula

Fugit, nec unquam non benignus
Frater amore salutis arsit.

Mirum, malignans quantâ ope factio
Intendat arcus, consilium & malum

Adversus unum hunc innocentem
Prostruat trepidans furore.

Permisit illi non requiem mora,
Seu lux tenebras æthere pelleret,

Aut Phœbus undoso inquietus
Conderet ora corusca ponto.

Inventa fraudis toxica quemlibet
Tentâre fati querere terminum,

Aperta funes colligavit
Vis, colaphos miseroq; duxit.

Ad inferendum crimina perduto
Et mortis ansam, pessima concio

Se maceravit, fellis iram
Evomit crucis usq; ad aram.

Verùm cruenti capta ferocia

Et dira Apella scommata, cum Sisyis
Astu, reportant de brabeo

Nil nisi perpetuum pudorem.

Devicta

Devicta mors est, horrida contremis
Sedes avernæ, CHRISTVS ab inferis
Ad lucis oras restitutus

Per medios dominatur hostes.

Infra cta scepro pectora ferreo
Confringit, armis figere terminum
Novit, reducendo petitam
Christiadum in loca sacra pacem.

Inunc, & alto gutture prædica
Invicta magni robor a brachij,
Qui lenta vix protendis ossa,
Vix toleras dominantis ora.

Num fortè gestus spreus homunculis,
Et forma nullis picta coloribus,
Errore mentem obnubilavit,
Ne species tibi vera cordi?

Sit res videtur gesta, sed aliis
Hæc ponderari debuit; haud possi
Regnum coruscat dignitate
Purpureâ, radijs & auri.

Virtute claret, simplicis ac viâ
Recti: superbis non patet orbita
Ad celsa ducens ævitatibus
Gaudia, fausta throniq; sceptrâ.

Quapropter omnes, quorquos ab inferis
Christus reduxit, sedeq; Tartari,
Vultus serenos nunc levate,
Læticia date signa vestra.

Non

*Non vos amictus candidus amplius
Velabat, aurâ qui Superos regis
Jova, doloso anguis jacebat
Justicia sola erit suavis.
Sub regis attri supplice fascibus
Nil voce quisquam praestitit; auxiliè
Spes at Jehova de supremi
Credula promissis favore,
Qui non relinquit sceptrâ tyrannidis
Super redemptos: huic igitur sacros
Devota cantus Musa fundat,
Ætheris astra sonent honorem.*

M. Christophorus Eilardus.
P. P.

ANNO 1636.

